



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**D. A. Ad Beatissimum Sixtum V. Pontificem Maximum  
Tractatus De Casibus reservatis**

**Zanchi, Lelio**

**Veronae, M. D. LXXXV**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61633)




Jh. 4753.



M II  
25





D. A.

AD BEATISSIMUM  
SIXTUM V.  
PONTIFICEM MAXIMUM

Tractatus

De Casibus reseruatis.



V E R O N A E.

Ex Typographia Sebastiani à Donnis. M. D. LXXXV.

UNIVERSITÄT PADERBORN  
BIBLIOTHEK

AD BEATISSIMUM  
SIXTUM V.  
PONTIFICEM MAXIMUM

DE  
D.C. DEBET REVERENDIS



V. E. O. N. A. E.  
M. D. LXXXV.



D. A.

BEATISSIME PATER.



VO sunt, & omnino quidem inter se diuersa, quæ humani sensus animi soleant vehemensissime perturbare, dolor scilicet, atq; lætitia, in quibus hoc vnū maximè considerandum arbitror si illa sunt in suo genere pariavnde nunc fiat, vt christicolarū vniuersa multitudo, veraq; totius orbis Religio repentino quasi motu concita omnibus acerbissimi doloris omisis indicijs maxima hilaritate animorum penitus lætitiæ incumbat, præsertim cum meroris acerrimi causâ esset, Optimi Pastoris nuper amissi cura: quæ iactura grauissima pari animi dolore prosequēda videretur. Verum vt illa de causa maxime dolendum iure optimo censebamus, multo magis nunc, fugata omni mœstitia exultādum omnibus, totis animi sensibus, quis non videat; te nō modo Pastore diligentissimo, sed Patre potius optimo, vt par fuerat, tam breui tēporis spacio comparato? cuius admirabili sapientia

A 2





5

D. A.  
AD BEATISSIMUM  
SIXTUM V. PONT. MAX.

Tractatus.

De Casibus referuatis Excel.<sup>mi</sup> D. Lælij de Zanchis.  
Veronensis, Doctoris, & Eq.



**V**M de iure canonico cautum sit, aliquos esse casus qui reperiuntur referuati cognitioni Pontificis Maximi, quos absoluit, dispensat, aut non, & quia a Doctoribus sparsim enarrati sunt, illos igitur ad salutem, & ad facilitatem, pro agendis negocijs tam secularibus, quam ecclesiasticis, breui manu compilare decreui, sunt enim vt infra.

Sed pro euidencia imprimis animaduertendum cenfeo, de tribus questionibus esse quærendum, Primo an omnia liceant Pape; Secundo an omnia deceant, Tertio an omnia expediant, quo ad primum dic quod sic, si nõ fiant cõtra fidem. xl. dist. cap. si Papa, nec alias peccet, quia peccatum non cadit sub potentia, immo cadit sub defectu, & hoc in mortalibus peccatis lege diuina, secus de mortalibus lege canonica, vel humana, cum ipse non ligetur suis Constitutionibus, patet in eo quod not. Abb. in c. per tuas. ij. de Simon. de accusat. cap. ad petitionem, & in cap. licet. quo ad secundum si est iusta causa quod sibi decet, & e contra, quo ad tertium si ordine iudiciario agit, semper expedit iustitiam facere, nec illam peruertere, vt in cap. in causis de re. iud. licet quãdoq; per causã differtur, de renunt. cap. nisi s. pro graui.  
Eecle-

Ecclesia Romana primum locum obtinet xxij. dist. cap. 1. ideo in loco vbi fuerunt Episcopi ibi ponantur, & si ciuitas stetisset per annos mille absque episcopo non obstaret prescriptio, nam qui habuit habeat, & qui non habuit habeat est summi Pontificis estimari cap. felix, & ibi gl. in ver. proprium, xvi. q. i.

Vespesianus, & Titus eius filius Iudeos sedesq; eorum copias afflixere, quas nunc Maumetanorum, Saracenorumque genus detinet vnà cum sanctissimis reliquijs, in maximam iniuriam, & dedecus, Romanæ Ecclesiæ, vnde cum sint inimici Deo, cuius vices Summus Pontifex gerit, vestra est vindicta, sapientia vestra floret, auctoritas iubendi inest, fideliumq; omnium in hoc genere belli prona voluntas erit, aurum, & argentum pro militiæ stipendio non deerit, nam iuste mouebitur si terram sanctam consecratam natiuitate, habitatione, morte Domini nostri Iesu Christi reuocabit, in qua non colitur Christus, sed Mahometus, eò potissimum cum in ea Iurisdictione, & Imperium habeat, xvi. dist. cap. Constantinus, & iniuste fuerit spoliatus ab eo, qui ius spoliandi non habuit, & ita tenet Inn. in cap. quod super, nu. 7. de vot. & vot. redempt. Fiat igitur sanctum cor vestrum, quod in manu Dei viget.

Papa potest concedere per totum orbem particulares, & generales ac plenarias Indulgentias, per quas tota poena remittatur, ita vt qui eas sumunt si decedunt ad vitam eternam conuolare credatur cap. Deus de penit. dist. i. hinc est quod solet concedere huiusmodi indulgentias euntibus contra turcas, & alios infideles: Inn. in cap. quod super de vot. & vot. redempt.

Pontifex Maximus est solutus legibus cap. proposuit de cõcess. preben. & l. princeps .ff. de leg. tamen debet viuere legibus l. ex imperfecto C. de testam. & ibi Saly. nam si Imperator qui est etiam ipse Vicarius Dei in temporalibus, Bal. in l. i. C. de iur. aur. anul. licet legibus solutus tamen viuere vult legibus, hac suadente ratio

ratione quòd nihil tã propriũ Imperij eſt, quàm legibus viuere, Ideo quamuis Papa vti Dominus in temporalibus, & in ſpiritualibus ſuprema auctoritate fungi poſſit, nihilominus legibus viuere debet, hoc enim aperte percipitur per gl. in cap. Preſul ij. q. v. nam ibi tractatur quot teſtes reperiantur ad damnandum Epiſcopum, & requiruntur lxxij, & ad damnandum Cardinalem lxxij. contra vero Papam non duplicabuntur immo duo teſtes ſufficiunt, in hoc eſt deterioris conditionis, quia ſine comparatione aliorum eſt creatus maior, Ideo condemnandus, de penit. diſt. ij. cap. Principium bonis exemplis fulgere debet, vt omnes oues Paſtoris ſui veſtigia ſequerentur.

Hominum facta a Papa, ſua vero a Deo iudicãtur cap. facta ix. q. iij. non ab Imperatore, nec à Rege, neque à Clero, neque à Populo iudicabitur quia in ſpecie nullius arbitrio ſubiaceat auctoritas eius Sedis, cap. nemo ix. q. iij. ſed cum totius religionis ac omnium viuentium oculi ad eum veluti ad ſpeculum deuoluuntur cautius agere tenetur damnari tamen poteſt, ſi deuiat à fide cap. ſi Papa xl. diſt. ibi etiam in gl. ſi. quod ex quocunq; crimine notorio ex quo ſcãdalizatur Eccleſia, poteſt accuſari ſi admonitus ſit incorrigibilis, illamque gl. approbat Abb. in cap. ſignificasti de elect. & poteſt ſe volũtarie ſubmittere iuriſdictioni alicuius, ij. q. v. cap. non ſi incompetenter nam ipſemet ſe deponit, xxi. diſt. cap. nunc autem.

Priuilegia ſanctę ſedi ſpecialiter conceſſa ſunt, vt ab ea omnes auxilium cum fuerint oppreſſi, & iniuſte damnati reſtitutionem ſumant, Ideo pregrauati ante ſententiam vel iniuſte damnati poſt ſententiam à manu Pontificia reſtitutionem ſumant. ij. q. vi. cap. ideo, nam ad eccleſiam Romanam tamquam ad matrem omnibus concurrere licet, cap. ad Romanam ij. q. vi.

Iudicium hominis debet ad ſui iuſtitiam eſſe conforme iudicio diuino, vnde etiam Papa non poteſt diſponere id quod Deus nõ diſponeret, tex. in cap. à nobis, ij. de ſent. excomun.

Papa

Papa habet potestatem pronuntiandi ultra vires libelli, quia est supra ius Abb. in cap. cum super nu. 9. de causa poss. & propriet.

Sententiam etiam iniustam & sine ordine iudiciario prolatam confirmare potest nisi deficiat in iustitia naturali, vt not. in cap. hęc quippe iij q. vj. gl. in cap. nullus ix. q. ij. cap. ad petitionem de accus. sed si sententia deficit in iustitia naturali non potest per eum confirmari, seu defectus suppleri, tex. not. in Clem. Pastoralis de re. iud.

Sententiam profert & iuris ordinem seruat, nisi ex necessitate, & utilitate aliquod dispensatiue duxerit statuendum cap. in causis de sent. & re. iud. vnde tunc illa sententia faceret ius.

Papa solus a sententia sua absolueret potest de elect. cap. ad venerabilem.

Papa in contractibus vel in iudicijs defectum supplet ext. de transac. cap. i. solet frequenter apponi illa clausula in confirmationibus beneficiorum supplentes defectum si quis est de plenitudine potestatis ext. de elect. cap. illa, nam secundum ipsam potest de iure supra ius dispensare, & omnino illud tollere ext. de concess. preben. cap. proposuit s. fin. ext. de cogn. spirit. cap. i.

Appellatio fit a minori ad maiorē cap. anteriorū ij. q. vj. excepto Pontifice Maximo ad quem appellatur omnibus pretermisis, ut ibi in ij. q. iij cap. iij. iij. v.

Papa solus potest committere causam remota appellatione. ff. quibus appel. non lic. l. i. in fi.

A sententia Papę non appellatur cū superiorem non habeat ext. de elect. cap. licet s. fi.

Papa

Papa edit legem generalem de const. cap. 1. à qua tamen administratores discedunt in causis commissis eorum arbitrio, Inn. in d. cap. 1.

Papa facit concilium generale ij. q. vj. cap. ideo. Bal. de scism. col. xv.

Papa potest contra omnia statuta & concilia venire de elect. cap. significasti, sed si constitutio, vel lex Papæ aut legato fuerit obscura, declaratio ad ipsum solum pertinet, & dispensatio, de sentent. excomuni. cap. inter alia.

Papa approbat electum in Imperatorem per Principes Germanos, & confirmat, vel infirmat electionem gratificando, cui vult cū fuerint plures in discordia electi consecrat, & iniungit, & coronat dignum, & indignum reicit: de elect. cap. venerabilem.

Si iniquus esset Imperator, illum deponere potest. ext. de re. iud. cap. ad Apostolice lib. vj. pariter Reges xv. q. vi. cap. alius. & si contingit ipsos esse inutiles ad regendum, Papa eis curatorem decernit ext. de supp. neg. prælat. cap. grandi. lib. vj.

Regno vacante Papa supplet defectum Regis, ext. de elect. cap. cū inter vniuersas, ratione pacis conseruandę potest hoc Cardinali committere: ext. de iud. cap. nouit. s. ceterum: & s. seq.

A Summo Pontifice Regalis dignitas impetratur, & à quo Rex iniungatur, hoc enim ad ipsum diffinire pertinet: ext. de sacr. vnc. cap. vnico: s. vnde in veteri testamento.

Pape soli vnio Episcopatum incunbit in vnum duos Episcopatus vnire potest, & vnum diuidere pariter potest in duos: xvj. q. 1. cap. & temporis, ecclesiarum autem ordinatio, & subiectio earum ad Episcopum pertinet in sua diocesi omniaque monasteria, nisi sint exempta, ad eundem ordinariū spectant, & si in dio

B cesi

cessi adesset Archiepiscopus suffraganeus, non habet disponere  
 sine ipsius assensu, refricatur in dubium, an casus qui reseruan-  
 tur sedi Apostolice possint expediri ex sola potestate Apostoli-  
 ca, an vero Illustrissimorum Cardinalium Cōsiliū requirantur,  
 & videtur dicendum, quod de potestate ordinaria requiritur  
 consiliū, sed de potestate absoluta expedire potest, & ita te-  
 nent Host. Io. And. Henr. Boich. in cap. sicut vnire de excess.  
 prelat. & sunt in tantū priuilegiati isti casus, vt illud quod com-  
 petit generali mandato non transfertur, nisi specialiter mande-  
 tur: vt ext. de offit. leg. cap. quod translationem, & qui auderet  
 hanc auctoritatem reseruatam vsurpare, honore ecclesiastico in-  
 dignus aut contemptor iudicatur, cap. huic dist. xvij. quare fiat  
 vnio gl. in cap. temporis qualitas xvij. q. 1. & gl. in cap. 1. ext.  
 ne sed. vac. licet ponant solum tres modos, quibus vna Ecclesia  
 alteri vnitur, tamen Host. Io. And. de But. Panor. & Doc. in cap.  
 nouit ne sed. vac. ponunt quinque modos, quibus fit vnio, pri-  
 mus, cum ecclesia vnitur quo ad spiritualia tantum modo sicut  
 fieri consuevit in quibusdam Monasterijs, in quibus celebrantur  
 exequiē Monachorum vtriusque Monasterij, secundus fit per  
 viam subiectionis cum vna ecclesia subijcitur alteri & hęc eccle-  
 sia remanet subiecta sub iurisdictione illius sub quo primo erat  
 constituta, nisi aliud fuerit expressum in ipsa vnione tex. in cap.  
 quia monasterium, ext. de relig. dom. tertius fit quo ad prela-  
 tum dumtaxat, vt idem sit prelati vtriusque ecclesię. quartus fit  
 cum duę ecclesię vniuntur simul, & tunc seruantur glose supra  
 allegate, vt consideretur an vna vniatur alteri, aut ambo simul;  
 nā primo casu nihil accedit Ecclesię vnite, sed ipsa Ecclesia quę  
 vnitur assumit naturam, priuilegium, regulam, professionem,  
 & consuetudines Ecclesię cui vnitur, & pereunt iura, consuetudi-  
 nes, & regule illius Ecclesię, quę vnitur: vt in cap. attolentes in  
 fi. ext. de stat. monach. & in glo. præallegata, & isto modo fuit  
 facta quædam vnio prioratus Sancti Cirici Prioratui arę grandis  
 cuius processus diffiniendus erat in curia parlamenti Dalphina-  
 lis, sed quando simul vniuntur, tunc commutant sibi consuetu-  
 dines

diſines & iura ipſarum vt in gloſis prædictis, & per Bar. in l. ij. ff. de leg. 1. Quintus fit vnio, quando vna Eccleſia erigitur in cathedralē, quòd ſolus Papa facere poteſt; cap. quod translationē ext. de off. deleg. & in iii. cap. ſicut vnire ext. de exceſſ. prælat. de quo pleniffime ibi per Doct. fit vnio etiam duarum eccleſiarum propter neceſſitatem, vel vtilitatem, vt puta, quando prioratus ſunt ita tenues, quòd non ſufficiunt ad onera eius fienda, vel quando aliàs eſt neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, de qua in cap. vnio x. q. ij. tex. in cap. expoſuiſti nobis, & ibi Panormit. ext. de præben. fit, & fieri permittitur, vt vna eccleſia ſtrictiorem regulam ſubintrer, & veniat de latiori ad ſtrictiorem: cap. recolentes in ſi. ext. de ſtat. monach. & cap. inter dilectos, ext. de donat. cap. cum dilectus filius: extr. de his, qui met. cau. ſi. videtur. etiã animaduertendum ſi in fienda vnione requiratur conſenſus Rectoris, ſeu Prioris, & dicendum eſt, quòd non, nam Episcopus hanc vnionem facere poteſt, ſecus autem, quando Episcopus vellet vnire Eccleſiam ſue menſe Episcopali etiam accedente conſenſu capituli non poteſt, quia in cauſa ſua auctorizare nõ licet, ſed tali cauſa opus eſt quòd audeatur Archiepiſcopus cap. ſi. in Clem. de reb. Eccl. non alien.

Sedem Episcopalem de vno loco in alium mutat. ext. de transl. cap. 1. vij. q. 1. cap. & temporis. lxxx. diſt. cap. in illis ext. de priuil. cap. 1.

Episcopum vnum de vna Eccleſia ad aliam transfert vij. q. 1. cap. mutationes.

Episcopos eximit & alios, vt xvj. q. 1. cap. frater noſter xiiij. q. 1. cap. 1. s. 1.

Papa ſubiecit eccleſiam Cathedralē vnã alteri quòd legatus facere non poteſt cap. quod translationem ext. de offit. delega.

Episcopum deſerẽtem eccleſiam ſuam ab episcopatu vel ab admi-



administratione Papa remouere potest quandoque hoc specialiter committitur Cardinali legato de Latere cap. ex tue ext. de cler. non resid. licet causa criminalis Episcopi per concilium tractari possit, tamen per solum Papam diffinitur. iij. q. vi. cap. quamuis, & cap. dudum.

Episcoporum renuntiationes recipit, de renūt. cap. i. & cap. nisi cum pridem.

In manibus Papę Abbas uel Prior exemptus renuntiat & non aliter de renunt. cap. dilectus.

Insignia episcopalia, mitram, anulū, baculum pastoralem, sandalia, & similia Abbatibus & inferioribus concedit, de auct. & usu pal. cap. & quibus diebus.

Papa Episcopos deponit, iij. q. vj. cap. quamuis cap. multum, & cap. dudum ix. q. iij. cap. si autem idem iuris est de electo confirmato quo ad hoc de transl. ext. cap. inter. s. i. Legatus de latere non potest d. cap. inter. Patriarcha uero Constantinopolitanus suos Episcopos ut Papa deponere potest. Argumento iij. q. v. cap. quia suspecti.

Ut Monachus laicus, uel in minoribus ordinibus existens, fiat Episcopus solus Papa dispensat lxj. dist. cap. miramur.

Episcopo non licet transire de vno Episcopatu ad alium episcopatum nisi de licentia summi Pontificis, cap. i. de cleric. non resid.

Papa pronuntiat electionem, & prouisionem que nundum facta est si eam contingat fieri irritam & inanem, de elec. cap. innotuit.

Ex certa scientia finat, & confirmado sanat infirmum, de confirm. util. cap. i.

Semper palium & ubique portat, quod nulli alij licet. de auct. & usu. Pal. cap. ad honorem.

Conce-

concedit palium petenti instanter, cap. significasti de elect. sed hæc concessio non fieret nisi prestito iuramento fidelitatis & obedientię cum iuramentum prestetur in certis casibus vt ibi in gl. d. cap. vers. pro vnitare.

Papa potest monachum, vel clericum secularem de qualibet parte mundi ad se vocare exigentibus opportunitatibus, & illos ad dignitatem & ordinem, vel ad aliquod officium inuitare ix. q. iij. cap. per principalem.

Et si quislibet legitime etatis possit in qualibet religione professionem facere, tam in Insulis circa decem octo annos, constitutum prohibet suscepi ext. de regul. cap. in insulis autem vt cum de appel. cognos. s. hanc autem penam.

Vt nouitius, vel homo alterius professionis fiat Abbas, de elect. cap. officij licet nisi instruitus eligi possit.

Papa solus absoluit incendarios postquam sunt excommunicati, & denunciati de sent. excom. cap. tua.

Ipse solus absoluit occisores clericorum, vel si alias lesio sit enormis specul. de leg. s. nunc dicamus.

Papa statuere potest vt fides adhibeatur testi criminoso dum tamen sit presumptio quod non deponet falsum Gemin. in cap. in fidei de heret. nu. 2. et nu. vj.

Papa habet vtrūq; gladium, scilicet temporalem, & spiritualem, ex commissione Dei, vt xxij. dist. & in Euāgelio ecce duo gladij, & Dominus cuius uices gerit vtroque vsus est vt x. dist. cap. quoniam idem.

Idēo dispensat in criminalibus que sunt maiora adulterio, de Iud. cap. at si sed Episcopi post peractam penitentiam vt ibi.

Papa

Papa secundum quosdam contra canones iniungentes certam penitentiam seu satisfactionem in enormibus criminibus vt homicidium & simonia in beneficio cum cura uel in ordine solus Papa dispensat, L. dist. cap. minor.

Christianos portantes arma saracenis dispensat, de Iudei. cap. significasti.

Insufficientes vel patientes defectum, vt bigamos xxxiiij. dist. cap. lector L. dist. cap. quicumque promouet ad episcopatus illos, qui non sunt in sacris ordinibus constituti, ext. cap. dudum r. s. fi. & disputare an sit dignus quem elegerit est quasi sacrilegium l. disputare C. de crimin. sacril. sed in hoc proposito animaduertendum, quod euenit in ciuitate Salerni cum tractaretur de conferendo Canonatu cum prebenda, multi enim nobiles literas ignorantes, & multi ignobiles literati concurrebant, fuit quesitum quis perferendus, fuit responsu promouendos literatos sicut nobiles, And. Sic. in consilio lvij. & ita sentit Io. Monac. in cap. cum ex eo de elect. lib. vj. vbi dicit quod ecclesia debet abundare viris literatis & non asinis ferratis.

Papa restituere potest solemniter degradatos ij. q. vij. Ideo vbi sic dicitur, hoc etiam potest Episcopus quando est degradatus per falsos testes, vel instrumentum, non citatus, vel conuictus, & contra absentem fuerit lata sententia xi. q. iij. cap. Episcopus presbiter xlvi. dist. cap. clericus maledicus.

Si dubitatur de rescripto apostolico contencioso vtrum per aliud rescriptum eiusdem reuocetur Apostolicus hoc solum diffinire potest Papa, de offi. deleg. cap. ij. idem est in gratioso, scilicet in priuilegio de iud. cap. cum venissent.

Quia falsum non committitur sine dolo, l. diuus. ff. de dol. si quis igitur falsificauerit litteras sedis Apostolicæ, non potest absolui, nisi  
à sum-

à Summo Pontifice, qui absolutionem in sua potestate retinet, Inn. in cap. ad falsarios de crim. fals.

Si de fide, vel fidei articulo, vt de baptismo dubitatur, hoc per Papam definitur, cap. maiores de baptis.

Ad Papam pertinet examinatio & definitio cum causa deferatur ad ipsum, nec legatus se intromittere potest, siue deferatur per relationem factam, vel pollicitam de preben. cap. dilectus.

Approbat scripta aliorum, & concilia: de summ. trinit. cap. ij.

Si iuramentum refricatur in dubium, an licitum, vel illicitum, vel seruandum, vel non seruandum talis definitio Papę incumbit de cleric. non resid. cap. ad audientiam.

Absolutionem, & dispensationem in plerisque casibus sibi Papa retinet, cap. cum ex eo, in tit. de penit. & remissio. Inn. in cap. nuper in fin. de sent. excom.

Aliquando canonica Impedimenta matrimonij restringit et annihilat de consangu. & affinit. cap. non debet.

Ipse solus dispensat in gradu consanguinitatis prohibito de consangu. & affin. cap. quod dilectio.

Si in sacris constitutus se matrimonio collocauerit destituito iure deponendus est, xxviij. distinct. cap. presbiter si vxorem, sed potest circa eum magna adhiberi dispensatio, maior, & maxima, magna scilicet, vt deponatur, sed peracta penitentia ab Episcopo dispensari potest, cap. sane sacerdotes de cleri. coniug. xxviij. dist. cap. presbiterum. Item maior ut ad sacros ordines promoueat, xxxiiij. dist. cap. fraternitatis. item maxima vt ad dignitates ecclesiasticas admittatur xxxiiij. dist. cap. habuisse & hæc

& hec enim maxima dispensatio fit ex diffinitione Pontificis Maximi vt ibi in d. cap. habuisse.

Pontifex Maximus dispensare potest religiosum ut matrimonium contrahat secundum Ric. dist. xxxviij. articul. ix. Abb. in cap. cum ad monasterium et in cap. 1. de vot. & vot. redemp. dum causa rationabilis dispensandi habet, sed an valeat dispensatio cum filio Regis religioso ad tempus. s. donec susciperet filium masculinum, & postea rediret ad monasterium, refert Io. An. in regula actus legitimi de reg. iur. in vj. hanc causam disputasse, & dicit quod ipse Papa de cuius potentia tractatur questionem soluat consulendum tamen est sibi quod abstineat, sed si dispensaret multis videtur quod teneatur dispensatio & hoc locum haberet si ipse filius magis contentaretur de contrahendo ad tempus quam in perpetuum, & hoc casu sufficeret quod matrimonium posset esse perpetuum ita tenet Io. Ant. in cap. ex literis de sponsalibus Abb. contrarium tenet, cap. ex publico de conuers. coniun. nam tenet quod nullo casu Papa possit dissolueret matrimonium consummatum inter fideles.

Matrimonium per verba de presenti non consummatum copula carnali Papa dispensare potest, Abb. in cap. ex publico de conuers. coniug. & hoc de mente etiam Host.

Matrimoniam spirituale & carnale Papa impedire potest Card. in Clem. 1. q. fi. de rer. petmut.

Papa de nihilo aliquid facit, de transat. cap. 1. iij. q. vj. cap. hec quippe de concess. prebend. cap. constitutus ij. q. 1. cap. in primis.

De aliquo facit nihil mutando etiam rei naturam vt C. de re. ux. act. l. vnica.

Solus

Solus Papa potest cōferre beneficia, & prelaturas ad tempus. vij. q. 1. cap. pastoralis, in gl. in ver. gubernare in fi. & gl. in ver. perpetuum in cap. j. de capell. monac. hoc refert Fely. in cap. significauerunt num. 6. in uers. primus vbi Papa.

Ipsē solus beneficia vacatura conferre potest, Specul. de leg. 5. nunc teneremus.

Ipsē solus potest auferre vni, & alteri tradere. xxij. q. viij. cap. conuenior.

Papa dispensat, vt quis habeat plura beneficia cum cura, vel plures personatus cum cura, cap. non potest & ibi gl. communiter allegata de prebend. dignit. in vj. Abb. in cap. extirpande. §. qui vero nu. 38. de prebend. cap. de multa de prebend. dignit. huic obst. Concilium Tridentinum.

Ipsē solus dispensat cum filio sacerdotis, vt habeat Ecclesiam, in qua pater eius immediate ministravit, Gof. de fil. presbit. & de temp. ordin. cap. dilectus.

Ipsē solus vnā & eadem die ad duos ordines sacros promouet aliquem, de temp. ord. cap. dilectus.

Ipsē solus licite ordinat extra quatuor tempora in festiuis diebus, puta Dominicis, de temp. ordin. cap. 1. & si aliter facta sit ordinatio, Papa dispensat, tit. eo. cap. dilectus.

Ipsē solus facit ordinationes in die suę consecrationis, de elect. cap. quod sicut.

Papa solus dispensat in etate, secundum quosdam Specul. de leg. 5. nunc Episcoporum ver. liij.

C Papa

Papa potest vnico verbo pronuntiare quem sacerdotem secundum Angel. in l. ij C. de crim. sacril. facit quod not. Inn. in cap. 1. de sac. vnt. vbi dicit quod si non esset constitutio Ecclesie sufficit dicere, sis presbiter absque alia solemnitate.

Papa solus potest dare licentiam celebrandi diuina officia in Ecclesia interdicta, gl. & Doc. in cap. ad hoc de appell.

Papa solus presbitero concedit, quod possit infantes in fronte crismare, xcij. dist. cap. peruenit.

Promotum à se, vel à predecessore suo, ipse solus ordinat, de tēp. ord. cap. cum in distribuendis.

Papa solus concedit diacono, vt compagis, siue sandalijs vtatur, xcij. dist. cap. peruenit.

Ille qui renuntiauit executioni Pontificalis officij ingrediendo religionem per solum Papam ipsam recuperare potest, de renunt. cap. post translationem.

Papa solus dispensat cum non ordinato ministrante, vt ad superiores ordines ascendat, Specul. de leg. s. nunc Episcoporum.

Si ecclesiastica sacramenta suspensus ministrat hereticis non potest absolui nisi à Papa, de heret. cap. excommunicamus.

Ipsē solus dispēsat cum suspēso, seu interdicto ab homine, vel excommunicato celebrante, Specul. de leg. s. nunc Episcoporum.

Papa solus dispensat illum, qui scienter excommunicatus ordinē recipit, de sent. excom. cap. cum illorum.

Ipsē

Ipsè solus dispensat cum ordinato in apostasia de apost. cap. fi.

Papa solus dispensat cum eo qui irregularitatem incurrit cap. 1. de ea. qui. ord. furt. suscep.

Papa solus absoluit participantem ex certa scientia in diuinis officijs excommunicato a se, de sent. excom. cap. significauit.

Ipsè solus dispensat cum clericis conferentibus ecclesiastica sacramèta hereticis, & ab eis oblationes, & elemosinas recipientibus, de heret. cap. excommunicamus,

Cum ordinato a scismatico solus Papa dispensat, de scismat. cap. ij.

Ipsè solus dispensat cum eo qui excommunicatus vel suspensus recipit beneficium ecclesiasticum, specul. de leg. §. nunc Episcoporum.

Papa solus dispensat cum simoniacò in ordine, 1. q. 7. cap. statuimus, & cap. si quis à simoniacis.

Papa si excommunicatum saluauerit ex certa scientia, vel aliter ei participauerit p̄sumitur, quòd eum velit absoluere, cap. si aliquando de sent. excom.

Ille qui excommunicatus est à Papa, ab eo debet absolui, vel ab eo cui specialiter comiserit, quia eius est soluere, cuius est ligari, xxi. dist. cap. inferior.

Sed si Papa concedit inferiori aliquid de sibi referuatis, intelligitur semper concedere, vt ea exerceat cum causę cognitione, & non cum plenitudine potestatis, quam habet ipse concedens, Fely. in cap. quę in ecclesiarum, nu. 32. de const. vers. hanc declarationem, quòd in generali concessione non comprehendun-



tur ea, quæ sunt specialiter reseruata, hoc intelligitur in concessione facta magistratui temporali, qui non est constitutus Dominus vel Princeps Prouinciæ secus in eo, qui perpetuo constituitur Princeps, vel Dominus, vt sunt Reges, Duces, Comites, & similes, qui ex priuilegio inuestituræ concessio à Papa super gubernatione plenaria, & perpetua consequitur omnes prærogatiuas reseruatas concedenti in materia concessa, Paul. de Cast. in cons. cccxv. contrarium tenet Anch. in consi. cccxxvij. saluatur. Paul. Cast. quando in priuilegio adfunt illa verba, quòd possit ea facere quæ nos Romani Reges &c. gerere possumus de plenitudine potestatis &c.

Papa filios illegitimos legitimat, ext. qui fil. sint legitimi, cap. per venerabilem, & cap. tanta, in terris Imperij etiam licet sit magna quaestio, vt per Ant. de Rossel. in tractatu legitimationum nu. 2. ibi tenet, quòd vbique potest.

Ipsè solus dispensat cū illegitime nato, Spe. de leg. s. nūc tractemus.

Papa solus, vel is cui mandauerit, potest commutare votum terre sancte, vel redemptionem illius recipere ext. de vot. & vot. redemp. cap. quòd super his, & cap. ex multa.

Ipsè solus spiritualia prout est ius eligendi laico concedere potest, de iure patron. cap. nobis fuit.

Papa solus dispensat in voto continentie, & pro terra sancta emisso Specul. de leg. s. nunc Episcoporum.

Ipsè solus dispensat cum regularibus exeuntibus ad audiendum leges, vel Phycam, vt promoueantur, ne cler. vel monac. cap. non magno.

Ipsè solus dispensat in decimis non dandis, de decim. cap. ex parte.

An

An Papa in confirmatione Regni facta primogenito possit tollere illam clausulam solitam antiquam ultra ducentos annos que ponitur in Inuestitura Regni quod si Rex aspirasset ad imperium immediate ipso iure vacet regnum, & sit ad collationem sedis Apostolicę, prima facie dicendum est, pro vt dicit gl. in cap. ad Apostolicę, de re. iud. in. vj. quod Papa non solet ardua facere sine collegio Cardinalium, & si facit, non ligat successorem, quia licet possit, tamen minus legitime facit, quia contra morem & naturam feudi Regni per doctrinam, Doct. in l. digna vox C. de leg. item quia dicta remissio pacti est personalis & non realis quo casu successorem non ligat, Ant. de But. in cap. si. ne prel. vic. sua. maxime quia dicta remissio pacti antiqui non est Ecclesie utilis. In contrarium facit quia in his que sunt de iure positivo, Papa est supra ius posituum, vt in cap. proposuit, de concess. prebend. & sic potuit derogare dicte clausule que est de iure positivo, Decisio huius dubij dependet, an qualitas feudi possit mutari in preiudicium successoris, de quo in ti. de alien. feud. pater. cap. 1. nu. vj. & in cap. 1. si de feud. fuer. cont. int. Dominum & agnat. & an obligatio quesita Romane Ecclesie per inuestituram predictam cum dicta clausula possit per Papam mutari in preiudicium Ecclesie Romanę quando sine collegio Cardinalium fieret mutatio, de quo in cap. 1. vlt. no. per Affli. an mut. vel alias Imperfect. & an super istis iuribus regalibus solus Papa possit successorem preiudicare de quo per Bal. in ti. de pac. constant. in verbo amplius, Canonif. in cap. 1. de prob. hunc casum ponit Affli. de alien. feud. patern. in cap. 1. nu. seq.

Papa solus sedet in sede illa, quam Dominus sibi in personam Beati Petri specialiter elegit, qui. fil. sint legit. cap. per venerabilem.

Ipse est successor Beati Petri, & Vicarius Iesu Christi vicem non puri hominis, sed veri Dei gerens in terris, de translat. cap. inter corporalia.

Quo-

Quoniam miracula fiunt aliquando per malos, vt in cap. teneamus. 1. q. 1. Ideo solus Papa sanctos canonizat, approbat, & in Catalogo sanctorum scribi facit nomina eorumdem, & aliter quā tunc fulgens miraculis venerari pro sancto non debet de reliqu. & uenerat. sanct. cap. 1.

Papa habet potestatem dispensandi in omnibus casibus, in quibus prohibitum non reperitur, ita tenent Host. Abb. in cap. proposuit de concess. preb. Anch. in cons. 173. specul. in ti. de dispens. s. nunc breuiter, Decius in cons. 681. nu. xiiij.





## C A S V S

*Quos Pontifex Maximus non potest, aut debeat  
dispensare.*



CONTRA Euangelium negatur dispensatio. xxv. q. 1. cap. sunt quedam. xxvj. dist. cap. deinde.

Circa ea que de sui natura respiciunt peccatum mortale dispensatio negatur, exempli, gratia vt quis sine peccato ualere fornicationes committere extr. de iur. iur. cap. & si Christus.

Incumbentia articulis fidei dispensare non potest, gl. in uer. dispensare, in cap. ij. de bigam.

Contra mandantem fieri homicidium ordinum executio uspenditur, cap. 1. & fi. in. vj. de homicid.

Contra decem precepta negatur dispensatio. xiiij. dist. cap. sicut.

Contra quatuor concilia principalia ea tollendo dispensare non potest xxv. q. 1. cap. sunt quedam.

Non dispensat in gradibus consanguinitatis lege diuina prohibitis de rest. spoliat. cap. literas.

Nulla causa potest esse legitima, vt Papa faciat de peccato non peccatum, & ideo debet sibi reputare impossibile, Card. Flor. in repet. cap. perpendimus, de sent. excom. col. vij.

Potestas

Potestas conferendi sacramentum Eucharistiæ concedi à Papa non potest illi, qui in præbiterali officio non sit constitutus, ita tenet glo. in cap. peruenit. xcv. dist. Abb. Inn. in cap. quanto de conluet.

Papa à peccato se ipsum absolueri non potest, vt tenet Abb. in cap. fin. de insti. ratio hæc est, nam confessio est instituta de iure diuino, not. in cap. omnis vtriusque sexus, de penit. & remis. sed ipse iure diuino ligatur, cap. sunt quidam, xxv. q. 1. & in quantum esset peccator, alijs minor esset, glo. in cap. 1. xxiiij. q. 1.

Ex suo proprio contractu, Papa ita obligatur, quòd non potest reuocare contractum suum in præiudicium tertij, tex. & ibi Abb. & Felyn. in cap. 1. de probat. Cyn. in l. digna vox, C. de leg. facit & Cesar. ff. de publi.

Papa non potest se subijcere iurisdictioni laicorum, quia illud esset in magnum præiudicium dignitatis Pontificalis, vt tenent Io. And. & Abb. in cap. ecclesia Sanctæ Mariæ de const. & respondent ad cap. nos si incompetenter, ij. q. vij. quòd ibi iudicium accipitur pro discretionem, & Papa fecit illud ex nimia humilitate.

Sedem Romanam in alium locum traducere Papa non potest. Abb. in cap. per venerabilem qui fil. fin. legit. cap. rogamus, xxiiij. q. 1. & hoc de honestate, vt tenet card. Alex. in cap. nolite, xi. dist. facit cap. præfenti de præb. in vi.

Quis priuilegiari non potest à Papa, vt non teneatur venire ad eum aut sit exemptus à Romana Ecclesia, vt no. Io. An. & Abb. in cap. cum instantia, col. ij. de cens. quia cum Papa teneat locum Dei in terris, cap. ij. de transl. præl. non debet posse aliquem eximere à sua potestate, cum per hoc eximeretur à potestate Dei.

Iudici suspecto causam committere non potest Papa quin recusari possit

possit & hoc in causis in quibus non habet plenariam potestatem, Abb. in cap. cum inter Priorem de except. & in cap. ad hec, post gl. de rescript. Dec. in cap. proposuit de apell. istud videtur quodammodo naturale, cap. quod suspecti, iij. q. v. Clem. Pastoralis de re. iud.

In causis in quibus Papa non habet plenam potestatem in preiudicium tertij non potest dare fidem scripture priuate vt. no. Abb. in cap. 1. in ij. no. de fid. inst. facit Clem. pastoralis, de re. iud. idem Abb. in cap. cum a nobis col. ij. de test.

Papa non potest facere. vt facta habeantur pro non factis, Abb. in cap. cum te, col. ij. de re. iud. vbi dicit quod Papa non potest tollere infamiam facti per l. in bello. §. facte. ff. de cap. & postlim. reuer. cap. si Paulus. xxxij. q. v. vbi dicit Diuus Hyeron. quod Deus potest omnia, suscitare Virginem non potest post ruinam valet enim a pena liberare, sed Virginem coronare non valet, nam illud importaret contradictionem, per las. in l. 1. §. si vir, ff. de acqu. poss.

Papa statuere non potest ut communicantes cum excommunicatis non incurrant excommunicationem minorem, tex. in cap. nulli de sent. excom. & ibi Abb.

Papa statuere non potest vt clerici perdant priuilegium cap. si quis suadente. xvij. q. iij. nisi sit causa, Abb. Fely. in cap. nulli de sent. excom. gl. in simili, in cap. que ad perpetuam. xxv. q. 1. ratio est, quia priuilegium clericorum est de iure diuino, xcvi. dist. & Papa contra ius diuinum non potest dispensare, cap. sunt quedam. xxv. q. 1. Gemin. in cap. in istis. iij. dist. tenet quod Papa etiam cum causa non possit tollere istud priuilegium, cap. si quis suadente; & videtur quod non possit assignari aliqua causa sufficiens propter quam tolleretur hoc priuilegium quem sequitur, Fely. in cap. nulli, de sent. excom. hec enim conclusio Gem.

D non

non est recepta quia immo Papa cum causa potest tollere privilegium. cap. 1. de vit. & honest. cler. in vj. & in cap. in audientia, & in cap. perpendimus de sent. excom.

Bene verum est quod Papa non potest tollere characterem impressum in anima per degradationem, nec etiam tollitur per mortem, Abb. in cap. 1. & ij. de cler. exco. & Io. An. in cap. degradatio, de pen. libro vj. glo. in clem. in plerisque in verbo vel aliquod de elect. gl. in cap. accedens L. dist. Abb. in cap. non potest de re. iud.

Papa statuere non potest generaliter ut usuræ comitantur, quia contra Euangelium mutuam dantes, & nihil inde sperantes: Fely. in cap. fin. de maio. & obed.

Si Papa præcipit aliquid cum scandalo de certa scientia in quo non possit dispensare non est sibi obediendum, quia Deus qui est superior præcipit malum vitandum, potius Deo parendum, quam eius vicario, Abb. in cap. cum leuamur de præbend.

Papa dispensare non potest ut valeat matrimonium in quo non interuenit consensus, ita tenet, Io. An. in cap. per venerabilem qui fil. sint legit.

Matrimonium consummatum per copulam carnalem Papa non dispensat inter fideles nisi ex consensu vtriusque sponsi ex potestate absoluta dissoluere potest illud matrimonium nulla alia causa existente ex potestate ordinata ex causa potest dissoluere tale matrimonium cap. ex publico de conuers. coniug. sed sine maxima causa Papa non deberet talem dispensationem facere & ita Host. & Doc. communiter tenent.

Papa non dispensat matrimonium inter compatrem & comatrem Abb. in cap. si. nu. 5. de purg. Cano. Fely. in cap. at si clerici de iud.

Papa

Papa dispensare non potest in matrimonio inter Christianam, & iudeum & è conuerso nisi precedat baptismus, cap. non oportet. xxviii. q. 1. & comprobatur Paul. Grill. de pen. omnifar. Coit. q. xij.

Si Rex haberet vxorem sterilem non poterit à Papa dispensari vt aliam vxorem vel concubinam ducere valeat, Fely. in cap. que Ecclesiarum, de constit. nu. 23. vbi attestatur ita tenere Io. de ana. post. Io. an. in cap. cum Christus de hereti.

Papa non dispensat cum subdiacono vt matrimonium contrahat immo cum quidam Episcopus matrimonium permiserit fuit a Papa Nicolao reprehensus. xxxij. dist. cap. de illo.

Monachus existens, Monachus vt proprium habeat, vel vt matrimonium contrahat, illum Papa non dispensat, tex. & gl. in ver. abdicatio de stat. monach. in cap. cum ad monasterium.

In omnibus casibus in quibus decoloratur, vel decolorari potest status Ecclesie, à summo Pontifice denegatur dispensatio xxv. q. 1. cap. quæ ad perpetuam.

Ordinato ab heretico in subuersione fidei denegatur dispensatio, i. q. vij. cap. conuenientibus.

Papa cum reordinato non dispensat, i. q. vij. cap. saluberrimum.

In rebaptizato scienter non fit dispensatio, i. q. vij. cap. qui in qualibet ab ecclesiastica militia repellitur.

Contra statum, & consilium sui prædecessoris, an valeat, vel fieri possit dispensatio, de capel. monach. cap. pen. & de renunt. cap. post translationem ibi habetur, quod derogare non potest.



Denegatur dispensatio simoniaci ordinato scienter per pecuniam  
 i. q. i. cap. statuimus, cap. si quis à simoniacis.

Papa non potest dare licentiam excommunicato, vel interdicto ce-  
 lebrandi diuina officia, Inn. in cap. præterea. ij. de appell. dum  
 allegat cap. nulli, de sent. excomuni.

In definitionibus sanctorum patrum non est dispensatio facienda,  
 xiiij. dist. cap. sicut.

An in illa regula de regul. iuris in vi. quod semel Deo dedicatū &c.  
 quando dispensat contra votum tacitum, vel expressum, vel Euā-  
 gelium, vel contra decreta Ecclesie, tunc dispensationes dicun-  
 tur subreptitia. C. si cont. ius. vel vtil. publ. l. ij.

Papa cōtra ius naturale dispēlare nō pōt, xv. q. vi. cap. auctoritate.

Sacerdos nō solum potest verbo, nec nutu, aut quouis modo quæ-  
 sito colore detegere peccatum, vel peccatorem sub pena, de  
 quo in cap. omnis, & ibi Abb. de penit. & remis. sed nec à Papa  
 potest cogi ad reuelādā cōfessionem, ita tenet Fely. in cap. i.  
 de excep. & per Abb. in cap. dilectus. de excess. prælat.

Papa non potest dare tantam iurisdictionem alteri, quin sibi plus  
 retineat. tex. in cap. dudum de præben. dign. lib. vi. Ideo non vi-  
 detur legato quantumcumque generali tribuere potestatem per  
 quam sue iurisdictioni præiudicare possit. ff. quod vi. aut cla. l.  
 prohibere. s. planè, & ibi Bar. ff. de pecul. leg. l. si peculium. s. si ait  
 & ff. de cur. furio. l. si. nam non videtur in iurisdictione legatum  
 sibi voluisse præponere, cap. petitio de iur. iur. l. humanitatis, C.  
 de excuss. tut. & ita consuluit Lud. Rom. in conf. xxx. incip. visis  
 mihi propositis &c.

Beneficium si scienter conferat infanti hoc facere non potest nec  
 ei

ei parendum, est Fely. in cap. Inquisitioni de sent. excomun. & in cap. si quando de rescrip. allegat Bal. in cap. cum adeo, eo. ti. de rescrip.

Papa non dispensat nec generaliter statuere potest, vt festa non feruentur. cap. 1. de fer. iuxta illud Sabbata sanctifices ex causa tamen statuere potest vt festa non feruentur Abb. in cap. literas in v. not. de rest. spoliat.

Et vt quis non teneatur dicere horas, Abb. in cap. 1. de celebra. miss. hore sunt de iure diuino dum dicitur septies in die &c. hoc dictum de horis non dicendis limitationem recipit verum Papa non potest facere constitutionem de horis non dicendis sed bene potest dispensare cum vno ex causa, vt horas non dicat, Feli. in cap. si. de maio. & obed.

Papa non potest dispensare vt stetur dicto vnus testis in preiudicium alterius partis, tex. in cap. indicas. iij. q. ix. quia est de iure diuino, quod in causis requiruntur duo testes, vt in ore duorum, vel trium, stat omne verbum. cap. nouit de lud.

Papa non potest dispensare quod inferendo testimonio in iudicio non interueniat iuramentum, quia hoc est de iure diuino quod testis iuret, Genes. cap. xxxj. vbi Iacob voluit testimonium, foci sui Labam confirmatum per iuramentum.

Papa non potest precipere laico vt sibi renūciet bona sua, ratio est, quia laicus non est subditus, vt dicit Abb. in cap. Inquisitioni de sent. excom. quod laicus non sit subditus not. in cap. nouit, de lud. verum ratione cause efficitur de sua iurisdictione cap. venerabilem & ibi Doc. de elect. cap. si. de for. compet. in vi.

Papa non potest precipere aliquid iniustum & quod contineat in se peccatum, cap. Inquisitioni de sent. excom. cap. Iulianus cap. si Do-

si Dominus cap. qui resistit. xj. q. iij. immo si Angelus preciperet quod ei non est obediendum hoc locum obtinet si preciperet aliquid in quo continetur heresis ita dicit Abb. in d. cap. Inquisitioni.

Si Papa delinqueret & ita incideret in aliquam excommunicationem de quibus habetur in glo. cap. eos de sent. excom. adeo quod fuisset effectus excommunicatus, Episcopū excommunicare non potest ar. cap. audiuimus & cap. Achatius. xxiiij. q. 1. nam si Papa esset hereticus in eo quod est hereticus efficitur minor quolibet catholico. xij. q. 1. cap. scimus.

Papa statuere non potest vt iuramentum non ligaret propter resistantiam iuris diuini de quo in cap. & si Christus cum similibus de iur. iur.

Pactum contra bonos mores dicitur quando non potest seruari sine dispendio salutis eternæ Corn. in Consilio 2 12. in secunda part. igitur super tali pacto Papa dispensare non potest cum contra ius diuinum dispensatio non liceat cap. sunt quedam, xxv. q. 1.

Papa non potest includere monialem inuitam in monasterio secundum Oldrad. in consilio. xcvi. col. xv.

Baptismum & Eucharestiam summus Pontifex Impedire non potest Card. in clem. 1. q. fi. de rer. permut.

Papa non potest dispensare sine causa contra substantialia regule & si dispensauerit eius dispensatio non valet, Abb. in cap. cum ad monasterium de stat. monach. nu. 22.

Denique omnia iura dispensationis, vel non, loquentia in scrinio pectoris, Maximus Pontifex gerit, qui non ignorat dispensationum

tionum originem traxiſſe ab eo, qui ex ſola miſericordia, & diſpenſatione vniuerſa creauit, & ea homini ſubiect, vt ff. de uſur. l. in pecudum, quòd percipi poteſt cum Adam, & Euam poſt eorum peccatum diſpenſauerit, de pen. diſt. 1. cap. ſerpens ſi Philoſophus exclamat prudentiã eſſe propriam virtutem Principis magis credendum eſſe, & florere in eo, qui veri omnium rerum Philoſophi, noſtrorumq̃, cordium ſcrutatoris vices obtinet cui Chriſtus impoſuit; Si me diligis paſce oues meas, paſcere autem oues videtur ex cauſa diſpenſando, arg. cap. 1. de ſent. excom. & cap. verum, de iur. iur. nam omnia poteſt præmittente clauē diſcretionis, ante clauē poteſtatis, Inn. in cap. quanto eo. tit.

In omnibus autem vt ſupra relatis, remitto me Romane Eccleſie, à qua recedere non intendo, ſed penitus eidem acquieſcere.

F I N I S.

L A V S D E O.




...et in quibusdam... de peccatis... Philoſophus exclamationem... de peccatis... de peccatis...

...quod recte non incedo... sed penitus eadem adhibere...

FINIS  
I. A. V. S. D. E. O.




Denique... quod non... quod non...











Rationale

Utriusq. potest.

Ecclesiastica

Thoma

Talla m. a. l. s. p.

Tractato

de privilegijs

Ecclesie

in L. s. p.

de

l. s. p.

Th

4753